

Q. F. F. S. 3

**DISSERTATIO  
PSALMUM CXLV.  
VINDICANS,**

QUAM

*Indulgente Incltyto Colleg. Philosoph. Aboënsi,*

**PRÆSIDE**

*VIRO amplissimo atque Celeberrimo,*

**M<sup>AG.</sup> CAROLO ABRAH.  
CLEWBERG,**

L. L. O. O. PROFESSORE Regio & Ord.

*Pro GRADU*

*Publicæ censuræ submittit*

**MATTHIAS PAZELIUS,**

**OSTROBOTNIENSIS.**

Ad diem 16. Julii MDCCLI,

In Audit. Majori,

*Horis ante meridiem solitis.*

~~~~~  
ABOÆ, Impressit DIRECT. & Typogr. Reg. Magn. Duc.  
Finland. JACOB MERCKELL,





I. N. 7.

§. I.

**C**odicem Veteris Testamenti Hebræum ad nostra usque tempora purum fuisse transmissum, neque vel Judæorum malitia, vel injuria temporum, vel librariorum imperitia & incuria, vel correctorum audaci manu, depravatam quicquam admisisse labis, solidis rationibus evictum dederunt eruditi. Sciendum autem fontium puritatem eos asserere, per totum codicem Hebræum, universalem, non in omnibus & singulis, sed in probatioribus exemplis, iisque non singulis sed junctim sumtis, nec posse eandem everti aut tolli, sive per voces irregulariter scriptas, sive per punctationem anomalicam. Canonis nimirum scripturæ indolem & dignitatem, evidentissima S:æ S:ræ oracula, Providentiæ Divinæ curam, humanam in codice Hebræo custodiendo sollertiam, & corruptionis impossibilitatem vel alia urgentes argumenta, non una tamen usi methodo, hanc quæstionem ita ad umbilicum perduxerunt, ut, quod regerent, nihil habere viderentur adversarii.

§. II.

Horum e numero, post infelices conatus Johannis Morini, Lud. Capelli, If. Vosii, Rich. Simonii, Mar-

ci Meibomii, Pauli Pezroni aliorumque, qui fontes Hebraeos incertos & foliis Sibyllinis turbatiore nimio profanæ Criticæ studio decepti, demonstrare adgressi erant, recentioribus tamen temporibus e pristinatorum βιβλιομασιων latebris excitos vidimus non paucos. Vidimus Guil. Whistoni, à Jo. Gotlob. Carpzovio strenue retutati, inauspicatum partum. Vidimus aliorum non feliciora conamina, inter quæ Costardi, Collegii Wadhamentensis, quod Oxonii apud Anglos est, Socii, Francisci Hare Episcopi Cicestriensis, Clerici Amstelod. Professoris Celeberrimi, Patris Oubigand oratorii Presbyteri Parisiensis. Horum plerisque licet vindicias Textus Hebraei opposuerint alii: Nobis tamen operæ pretium visum est, Psalmum CXLV:um contra recentiores Criticos Clericum, Whistonum & Franc. Hare, ire vindicatum; idque proinde breviter D. F., pro ea, qua jam circumscribimur temporis angustia, facturi, tuam C. L. imploramus humanitatem & benigna judicia.

§. III.

Psalmi Centesimi quadragiesimi quinti versum integrum inter 13:um & 14:um medium excidisse & Clericus & Whistonus & Hare Cicestriensem apud Anglos Episcopus post alios contendunt: vel sæpius refutata priorum in scenam iterum producendo argumenta, vel novis sibi que propriis hypothesis nimium indulgentes. Clericus Comment. in h. l. ita habet: *Fidelis Creator) verba hæc non sunt in Hebrais codicibus, in quibus debebant esse duabus de rationibus. Prior est, quod, cum Psalmus hic sit alphabeticus, h. e. singuli ejus versus incipiant littera alphabe-*



*ei, desit tamen is; qui littera 3 debuit inchoari. Altera, quod Vulgatus habeat, quæ protulimus, & quæ Hebraice debuerant haberi: נאמן יהיה בכל דבריו וחסרו בכל טעויו quæ observationes sunt Viri docti Simeonis de Muys in Commentariis in Psalmos.*

## §. IV.

Mirari autem heic subit, ut circa extrema ex allegatis verbis primo pauca moneamus, talia excidisse Clerico tanto nimirum & tam libere sentienti Critico, quæ facilius ferre quis potuisset in Philologo Pontificio, qualem Simeonem de Muys fuisse non minus, quam eum nimis sibi suisque scriptis timuisse, ab eruditis dudum observatum constat. Clericus porro, quomodo a se impetrare potuit, ut auctoritati textus Hebræi præferret auctoritatem Vulgatæ, de cujus erroribus tamen ipse erat convictus? Quænam vero hæc est consequentia? Vulgatus toties falsus deprehensus, aliquid habet, quod in Textu Hebræo non adest, igitur corruptionis accusandus est fons Hebræus. Potius in suæ sententiæ patrocinium ipsi vocanda fuerat versio LXX Viralis, quæ supposititium hunc versum primo sic exhibet: *πιστός κύριος ἐν τοῖς λόγοις αὐτῆ καὶ ὁσίος ἐν πᾶσι τοῖς ἔργοις αὐτῆ.* Ex hac enim Vulgatus, Syrus, Arabs, Æthiops sua hauserunt. Id cum sentiat Whistonus, ad versionem non modo τῶν ὁ provocat, sed etiam ad interpretes sequaces. Horum vero interpretum auctoritati contradicunt omnes Codices Hebræi, interpres Chaldaicus, Aquila, Hieronymus, Theodoretus, Origenes. Quapropter etiam, ut subreptitium hoc comma obelo notat Scholion antiquum; ωβελι-

σαι δὲ τὸ, πιστὸς κύριος, δι' ὅλα τῆ σίχη, μήτε παρ' Ἑβραίοις  
 φερομένη, μήτε παρὰ τοῖς ἄλλοῖς ἑρμηνευταῖς, h. e. obelo configi-  
 tur univērsūm hoc comma, quod incipit, πιστὸς κύριος; cum nec  
 apud Hebræos legatur, neq; apud ceteros interpretes.

§. V.

Maxime igitur verisimile redditur, supposititia hæc  
 verba originem debere sciolo cuidam sive Judæo, seu  
 Græculo, qui, cum defectum litteræ Nun in textu Hebræo  
 vellet refarcire, repetendo v. 17. in oculos facile  
 cujusvis incurrente ταυτολογία, paucis mutatis, scilicet  
 pro voce פִּיָּא substituendo τὸ ΙΝΝΩ & vias cum verbis com-  
 mutando, novum hunc protrudit sætum. Quia enim in  
 versione Græca τῶν ὁ tales repetitiones non raro occurre-  
 re observarunt eruditi: idem hoc loco factum esse vide-  
 tur. Quod cum ita sit, facile patet, quid de argumento  
 Whistoni, ab auctoritate constitutionum Apostolicarum  
 desumpto, sentiendum. Quisquis enim demum harum sit  
 auctor, is hæc a Versione Græca deceptus, pro authen-  
 ticus habuit; non majori jure, quam quo rivulos fontibus  
 puriores, normamque ad normatum examinandam  
 asseritur. (\*)

§. VI.

Tangendam se nobis jam offert prior Clerici ratio, si  
 Clerici dicenda, quam æque ac posteriorem cum Lud. &  
 Jac. Capello, de Muisio, Grotio, Hammondo, Whistono,  
 Hario aliisque habet communem. Acrostichum esse hoc  
 canticum largimur, si titulo insuper habito תהלה ליהוה a  
 voce sequente ordiamur: sed eapropter, quod versus a  
 lit-

(\*) Vid. Whistoni Essay towards restoring the true text  
 of the old Testament &c, Lond. 1722,

littera  $\Delta$  incipiens desit, lacunam Textui Hebræo affingendam, minime concedere possumus. Non tamen opus est, ut cum Hottingero excipiamus adesse uno eodemque versu 14, litteram  $\Delta$  litteræ  $\Delta$  postpositam; cum hoc rem minus conficere videatur, semperque regerere liceat, versum deesse, littera  $\Delta$  primæ illius voci initiali, instructum, nec facile hanc exceptionem in ceteris Psalmis ejusdem generis, similis transpositionis exemplis, posse confirmari. Momenti quid habiturum hoc Clerici ceterorumque argumentum fortasse esset concedendum, si in omnibus Psalmis Alphabeticis constans omnium & exacta litterarum observatio posset demonstrari. Jam vero parum eidem inesse roboris, si ad summam, qua in ceteris usi fuere libertatem auctores  $\Theta\epsilon\acute{o}\nu\mu\sigma\iota$  adtendamus, rationemque e necessitate seriei Alphabeticæ petitam imaginariam esse ac  $\alpha\pi\rho\sigma\delta\iota\acute{o}\nu\sigma\iota\upsilon$  inductione instituta facile patebit.

§. VII.

Psalmoreum, qui communiter  $\alpha\kappa\rho\acute{o}\sigma\iota\chi\omicron\iota$  audiunt, quorumque septem numerari consueverunt, ne quidem unicus datur plena & perpetua serie una littera alphabeti post aliam novum inchoante versum. Sic Psalmo XXV. v. 2 litt.  $\Delta$ . v. 6. litt.  $\gamma$ ,  $\rho$  v. 17. deficiunt, & loco litteræ  $\rho$ ,  $\gamma$  adhibetur.  $\Delta$  autem extra Alphabetum adest v. 22. Psalmo XXXIV. v. 6. deesse videtur  $\gamma$ , redundante ibidem littera  $\Delta$  versu ultimo. Psalmus autem XXXVII. quamvis plurimas contineat Alphabeti litteras, adsunt tamen versus nonnulli intermixti ab aliis litteris incipientes, e. g. v. 2. 6. 9. 11. 13. 15. 17. 19. 22. 24. 26. 28. 29. 31. 33. 36. 38. 39. 40. & contra desunt versus ab  $\gamma$  &  $\eta$  incipientes.



**Pf CXI. & CXII.** non tam versuum initia, quam eorundem media observanda, ad obtinendam seriem elementorum Hebraicorum; cum sæpe duæ rarius tres litteræ Alphabethico initiales in uno conspiciantur versu. Nec Psalmus **CXIX.** adversarios juvat; hic enim peculiari plane & a ceteris diversa ratione octo semper exhibet versus, quos una eademque inchoat littera. Notasse hoc loco non pigebit, Threnorum capite 2, 3 & 4 ubi etiam ordo versuum habetur Alphabethicus, litteram **Q** litteræ **Y** esse præmissam; cum tamen, capite primo, ordo ne minimum quidem deprehendatur turbatus. Sic etiam, capite 3:0, duo, interdum tres versus, quos eadem inchoat littera, se excipiunt.

S. VIII.

Quod si igitur ex omnibus illis Psalmis, quorum thesi superiori, fecimus mentionem, nullus est, in quo sine exceptione, singuli versus, se secundum ordinem litterarum Alphabethi sequuntur, & in Threnis liberior litterarum ordo, sine corruptionis metu observatur, cur hic, quia unica deest littera, textum Hebræum lacuna laborare, fontica causâ destituti, rigida nimis censura concludunt sententiæ adversæ Patroni? cur facilius ipse Clericus Pf. 25? cur Pf. 34. deficiente littera rem potius in medio relinquit? cur ibidem versum a fine a **D**incipientem, idem seipso modestior, falce Critica reseccare non audet? nonne igitur longe majori jure, acquiescere in hoc Psalmo debuisset, quam Deo dicam scribere, quod Nun omiserit, sufficientibus de causis, licet nobis certo non notis? Neque enim certam hujus omissionis rationem



nem ut reddamus nobis adsuminus, quicquid Rabbinum vel de præviso a Propheta fatali casu Israelis ex Amos. 5. 2. vel nondum tunc dicenda ruina hostium, ex Ezech. 24. 20. comminiscantur. Ex his audiamus R. Salomonem, ed. Breithauptio, ad h. l. *Littera Nun deest in Alphabeto hujus Psalmi; quoniam viderat in illo (Populo Israelitico) gravem casum, (de quo Propheta dixit) cecidit, nec amplius resurget virgo Israelis, sed iterum refulcit eam per Spiritum S. dicens: סומך i. e. sustentat, Dominus omnes דגיפלים i. e. cadentes: Verum tamen magis ingenuus Kimchi; cur, inquit, omissum sit Nun nos ignoramus. Interim Genebrardi de hac re conjecturam ab eo in commentariis exhibitam, videat etiam qui voluerit, apud Calovium in Bibliis Illust. ad h. l.*

## §. IX.

Ostenso non valere rationem ab ordine litterarum interrupto desumptam, ut firmior huic loco sua constet integritas, videamus, quibus modis corruptionem irreperere potuisse veri simile reddatur. Si nimirum versus suppositivus quondam in Textu Hebræo extitisset, aut casu aliquo ex omnibus codicibus excidisse dicendus est, aut studio fuisset expunctus. Prius fieri potuisse ideo minus probabile, quia error ob interruptam Alphabeti seriem nimis fuisset manifestus, adeoque facile deprehensus. Præterea, cum hunc Psalmum tanto in pretio apud veteres Hebræos fuisse testetur Kimchi, ut qui eum ter per diem recitaret (nimirum ore non tantum, sed etiam animo, ut idem addit) certissime salutis aeternæ futurus esset compos; quis credat tanta negligentia usos, ut manifestissimum, si commissus esset, non adnoverent errorem. Neque Posterior, hic enim versus nihil continebat Iudæis adversum, & eidem similes alii, cum reperiantur in codice Hebræo, qui Criticam eorum per-

versamque non experti sunt manum, nulla probabili ratione id de præsentis admitti poterit. Si denique Septuaginta Interpretes illum in eo, qui tum adhibitus fuit, codice, reperissent, procul omni dubio ceteros omnes is latere non potuisset, unde colligendum & eidem similia alia existisse alibi exemplaria, & hinc variam in libris Hebræicis ortam fuisse lectionem. Sed cum apud neminem Hebræorum, quod sciamus, h. l. diversæ lectionis habeatur mentio; nec unquam in Textu Hebræo lectum fuisse hunc versum; verum ab alio quodam versione Græcæ ad Alphabetum complendum insertum, & inde ad alias eidem ἰσοψύχως promanasse admodum probabile videtur.

## §. X.

Refellenda nobis jam esset objectio Trancisci Hare Episcopi Anglorum Cicestriensis, quam in dissertatione de antiqua Hebræorum poësi Libro Psalmorum præmissa exhibuit Londini MDCCXXVI. Ibi nova metrics Hebræicæ tradendo principia, Gomaro, Meibomio & Johanni Clerico opposita, non modo recepta Grammatices Ebrææ fundamenta subruere: Sed & suæ libere nimis indulgens hypothesi, audaciori Critica, Textui Psalmorum Hebræo violentas inferre manus, & sub eximia restitutionis specie, suis singulas paginas emendationibus, antepotius corrupcionibus, implere ausus est. Sed cum nihil contra hunc locum adferat, quod vel a nobis supra non sit refutatam, vel lubricis ejus Metrics non nitatur hypothesibus, hac opera superfedemus. Quæ vero novissime contra hunc locum protulit Doct. Guil. Wall Anglus, libro inscripto *Critical Notes, on Some Passages of scripture*, ea Ludovico Capello in totum debentur, adeoque post Buxtorfium aliosque plurimos, jure refelluntur a Langfordo, scripto, quod, modo nominato oppositum, prodiit Lond. A. MDCCXLVII.

TANTUM.

\* \* \*